

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXV. Ioannis Papae VIII. Ad Amalfitanos. Significat se eos excommunicasse, donec se a Paganis separent. minatur illis alias poenas, nisi quamprimum pareant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CCXXV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AMALFITANOS.

Significat se eos excommunicasse, donec se a Paganis  
separent. minatur illis alias poenas, nisi  
quamprimum pareant.

*Reuerendissimo d<sup>o</sup> & sanctissimo Petro episcopo, seu Pulcari praefectorio, atque uniuerso populo Amalfitano.*

**N**O T V M esse volumus dilectioni & vnanimitati vestræ  
quia contra diuina statuta, & nostra apostolica monita,  
quibus vos frequenter monuimus, & ex auctoritate  
Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli præcepimus,  
vt nullum cum impia Sarracenorum gente paetum habe-  
retis, habitumque omnimodo rumperetis, in tali scelere,  
& in consortio inimicorum Dei manere non formidatis:

*Matt. 16.* virtute sancti Spiritus, & auctoritate sancti Petri, cui ligandi & soluendi in cælo, & in terra a Domino est con-  
cessa potestas, omni sacra communione, sancto videlicet  
corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, vos una  
cum totius apostolicae sedis consensu priuauimus, & ab ec-  
clesiæ Dei societate separauimus, vt in eadem excommu-  
nicatione maneatis, donec resipiscentes ab impia vos Pa-  
ganorum præda separatis: & nisi puro corde, & deuota vo-  
luntate, citius fueritis conuersi ad gremium sanctæ matris  
vestræ Romanæ ecclesiæ, maioris damnationis sententia  
vos procul dubio feriemus. Vestram denique nos salutem  
quærimus, vestras cupimus in conspectu Domini animas  
apostolica benignitate saluare, & quasi oues dominicas ad  
pascua salutis æternæ desideramus perducere: si tamen bo-  
nis operibus dediti nostra solatia, voluntatem, iussionem  
& admonitionem studueritis perficere, & in tali placito  
nequitiae contempseritis manere. Optamus vos in Christo  
bene valere. Die xxiv. mensis Octobris, indictione xiiii.

EPI-